

Hæc enim, quæ aliàs *Butis* etiam & *Berenices* nominibus insigniebatur, creatorem ac funditorem omnium primum cognoscebat Seleucum Syriæ & Babiloniæ Regem, qui nomen hoc novum novæ urbi dabat, eandemque de Pella, metropoli Macedoniæ, ab Alexandri M. incunabulis clara, similiter appellabat: præsertim quod etiam Macedonii, tum temporis in Asiâ sub Duce illo, gerendi belli omnium peritissimo certantes, ut plurimum incolerent, domicilium suum ibidem constituentes; nam incolæ (uti *Josephus* memorat) alienigenæ erant ac ethnici, qui vitæ rationem Judæorum, moresque illorum, in se recipere planè detractabant. Quapropter hanc ob causam Alexander Rex Judæorum Pellam hanc, quam antea una cum aliis in Syriâ, Phœniciâ ac Idumæâ urbibus expugnaverat, iterum destruxit, atque excidit. Pompejus verò magnus, quem summo cum imperio Romani eo tempore apud exercitum habebant, eandem restituit, & Judæis ademtam, Syris incolisque ex eâ depulsis contribuit. Post ea tempora urbs hæc cum aliis oppidis ac vicis propinquis, iteratis vicibus à Judæis demoliebatur, ita ut hodiernum Pella, teste *Dappero* in Palæstinâ suâ, in vici magni tantum formâ oculis illuc peregrinantium se exhibeat. Plura qui de eâ postulat, petere potest ex *Hieronymo* de locis Ebræorum, & *Heidmanno* in Palæstinâ cap. X. §. 46. cæterisque Scriptoribus terræ sanctæ. Id tantum adhuc addemus, quod *Magdeburgenses* conjiciunt: ibidem jam ante migrationem illam Evangelium Christi plantatum fuisse, quapropter sibi quoque postea eò confugiendum esse divinitus admonitos fuisse Christianos: quod tamen suo loco relinquimus. Vid. Cent. I. L. II. pag. II. 154.

XII. Si